

## Alte Drucke

### Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ  
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum  
à Festo || Pascæ vsque ad Aduentum in ...

**Wild, Johann**

**Antverpiae, 1559**

IN DEDICATIONE ECCLESIAE EVANGELIVM. Lucae. 9.

---

#### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

#### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150413**

# IN DEDICATIONE ECCLESIAE EVANGELIVM.

Lucæ. 9.

*no* **E**T ingressus (Iesus) perambulabat Iericho: Et ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat Publicanorum, & ipse diues. Et quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem ficulnorum, ut videret eum, quia inde erat transiurus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit: & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorum diuertisset. Stans autem Zachæus dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliq̃ defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus huic domui facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

## EODEM DIE EPI- STOLA APOCA.

Ioan. 21.

*no* **E**T ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendente de celo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce

*Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quæ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi. Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt & vera.*

SERMO PRIMVS.

**T**Oties hoc Euangelium quotannis, maximè in hac ciuitate quæ vt multa tèpla habet, ita plurimas dedicationes frequentat, prædicatur, vt verisimile sit (vt nunc sumus ad pietatem omnem negligentes, ad nugas leuitatemq; prompti) non fieri modo, quin multi fronte corrugant, imò ridiculè hoc Euangelium excipiant: cum tamen ea ipsius dignitas est, vt satis deprædicari possit minimè, & pro merito rectius quotidie in Ecclesia sanaret, quo nemo in Christianis disceret atq; agnosceret, quæ spei copia nobis in Domino Iesu sit reposita. An enim non est plenum consolationis ac spei, Christum tam citò Zachæi affectum respicere tantum peccatorum affari, amicitiam promptè offerre, ad peccatorem diuertere, & mox ex publicano filium formare Abraham? An non illud gratissimum est quod ait: Venisse filium hominis quærere & saluum, facere quod perierat? Et quod in omnibus Euangelij magis consolatorium inueniri possit? Quis hoc audito vel in peccatis desperat, vel non ad gratiæ sedem accelerat? Quis non & ex intimo affectu Deo gratias agere, hoc Euangelio ob oculos propositò, velit? Tanta ergo consolatione còfertum nemo sanus contempserit ideo, quod sæpius quotannis in Ecclesia sonet. Quod si adhuc quisquam est, quod ipsum Euangelium, contemnendum ducat: seipsum prodit, quod nec Deum, nec Dei vel amet vel magnificet gratiam, Et sanè eiusmodi quicumq; tandem ille est, vt probè secum examinet qualis sit Christianus necesse habet, Quem enim tantum gratiæ diuinæ factum nec trahit nec mouet, quò alio medio trahi moueriq; possit nò video.

**Pfal. 106.** video. Dauid enim eiusmodi hominibus quam ipsi periculose habitent, indicat dicens: Omnem escam abominata est anima eorum. Et quid sequitur? Et appropinquarunt vsque ad portas mortis. Et quidem necessarium id sequitur. Non enim minus periculi est, si stomachus omnem cibum nauseat atque rejiciat, quam si esuriens quod edat non habeat. Vtrobique mors proxima est. Hæc igitur præfari libuit exordij loco, ad cohortandos nasutos quosdam qui præter nouum quodcunque, nihil curant, hoc frustrati, cætera contemnunt omnia. Verum quod de Euangelio dictum est, idem & de hodierno festo intelligi volo. Nihil communius huius festiuitatis concionibus: sed nihil etiam contemptibilis est. Neque tamen ideo tacendum est. Paulum discipulum suum admonentem audi: Testificor, inquit, coram Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius & regnum: prædica verbum, in ista oportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Hanc prædicandi normam Paulus discipulo suo præscripsit. Præuidebat enim Mundum ad Euangelij prædicationem languidum fore. Neque tamen ita aperte & clarè isthæc prædicere potuit, vt nos ante oculos nostros, & veluti in foribus videmus omnia. Vt ergo superioribus annis, semper proprio sermone huius festi memini quiddam nobis necessarium atque conueniens in medium proposui, ita etiam nunc faciam. Veruntamen & nouum quid inferam. Quemadmodum enim duobus proximè elapsis annis quomodo non Salomon tantum, verum etiam Christus ipse dedicationem templorum celebrauerint, indicauimus, ita hoc sermone quæ patrum Ecclesiæ in hac festiuitate fuerit pietas deuotioq; libet proponere: si fortè ipsorum verba plus quam mea effecerint. Tamen hoc sequiturum spero, vt non tam miserè despiciantur Patres, quasi nihil de Christo nouerint: quemadmodum nunc vulgò traducuntur. Si enim eo modo ipsorum scripta legerentur, quo moder-

norum

norum, longè alia de ipsis nostra essent iudicia. Vnicum  
 igitur hodie D. Bernardi de dedicatione sermonem in  
 medium proferam. Illinc enim poterimus discere, num  
 quid de Christo sciverint patres, num ipsum prædica-  
 verint. Vtinam eiusmodi & nunc haberet Ecclesia præ-  
 dicatores, profectò ipsa & quicquid eius est, rectius  
 starent atque modò. Agitè igitur Bernardum audia-  
 mus. Sed sensum ipsius tantum indicabo, longum e-  
 nim fieret, si omnia verba recitare voluero. At princi-  
 pio quidem nemo scandalizetur, veteres non magnis &  
 superbis elatæ mentis se verbis titulisq; prodidisse, sed  
 purè & apertis verbis Christianam veritatem docuisse.  
 Propterea enim tutius illis possumus fidem habere. Nò  
 enim veritas ullo prætextu indiget, ut quæ perclara &  
 lucida est. Mendacio verum umbraculo opus est, quo  
 sub veri specie diuendi possit. Et hic quidem egregijs  
 titulis nominibusque autoritatis, opinionem venari  
 oportet simpliciumque oculos Prophetarum, Euangelistarum  
 Apostolorum, prædicantisque appellationibus perfringere.  
 Deinde etiam novorum spirituum, visionumque priuatas  
 consuetudines iactitare: blandiloquentia indoctos per-  
 suadere: comminationibus calumnijsque prudentiores  
 terrere: tandem etiam ne mendacium prorepat ac mani-  
 festum fiat diligentissimè cauere. Hæc Arrianorum, Man-  
 tanorum, Donatistarum, cæterorumque omnium hære-  
 ticorum consuetudo fuit. Quanquam nihil tandem po-  
 tuerunt, quemadmodum & hodie eiusmodi artes nihil  
 commodant. Potest quidem ad tempus abscondi sub  
 leoninam pellem Cumanus asinus, potest & conterri-  
 tare homines, perinde ac si verè Leo esset, tandem ta-  
 men longioribus auribus quas nequit obtegere prodit-  
 ur, & quod sit asinus declaratur. His præstigijs non  
 indiget veritas: ipsa in lucem procedit, veretur nemi-  
 nem. Id quod in Antiquioribus Ecclesiæ videmus pa-  
 tribus. Atque huius rei hic nobis Bernardus exem-  
 plum exhibebit. Etiam hodie fratres, inquit solenni-  
 tatem agimus & præclaram. Atque id quidem facili di-  
 xerim. Videmus enim id omnes, sed pergitis quærere,  
 cuius sancti: illud fortè iam non ita. Iam verò indignum  
 Ecclesiasticis est, ignorare cui honorem deferant: nec  
 pru-

Bernard.  
 serm. 3.

prudentes decet venerari incognitum. Quæredum ergo primum est, in cuius sancti, aut quorum honorê hûc diem solennem agimus? Et in aliorum quidem Martyrû atq; Apostolorum festis, cuius memoriâ frequente-  
mus sancti dicere, difficile non est. Verum hic nō ita facilis est responsio. Et omnes quidem, externam hæc domum, ynde festiuitas nomen habet, videmus. Sed quod honoremus, aut etiam honorare cogitemus nostris festis ligna, lapides, & alia, Christiana professio nō patitur. Licet quidē & externā hanc domū sanctā vocare, quod sanctus Episcoporū manibus in honorē cultumq; diuinit̃ dedicata est, quod in ea sancta scripturarū volumina legatur, sancta Sacramēta ministrētur, sancta Christiani populi Ecclesia in ea cōgregatur, sanctę preces Deo offeruntur, sancti hic nos visitat & nobis adsunt, sanctorū hic corpora requiescāt. Et deniq; sanctus sanctorū præsentē se hic exhibet, cum preces ipse nostras exaudit, largitur suam gratiam, suumq; in nos effundit spiritum. His rationibus hæc domus non immeritō sancta dicitur. Sed quod ipsorum sanctitas, ipsorum causā honoretur, tam non est credendum, quā certum est, ipsorum causā nō esse sanctificatam. At multo magis domus hæc sancta est, propter corpora, corpora verō propter animas, animæ verō propter inhabitantem spiritum. Quam ergo externam videmus domum, in dedicatione est minimū. Nos isthæc respicit festiuitas. Nos domus, & familia Dei, nos templum Dei, ciuitas Dei, nos sponsa Dei. Hi sancti illi, quorum hodie festiuitatem celebramus. Sancta enim domus Dei est, & templū sanctum est, ciuitas sancta est, sancta est & sponsa Dei, quam filij sui sibi sanctificauit sanguine. Videntur quidem hæc quatuor esse, sed vnum re vera sunt. In externis quidem diuersa sunt: domus, templum: & longē aliud quid est ciuitas, quā domus & templū, at longē diuersissimum est sponsa, à ciuitate, domo, aut Dei templo. At hic omnia idem sunt. Quisquis enim domus Dei est, ipse etiam templum est: & quisquis domus, templumq; Dei est, idē & ciuitas eius est: & denique quisquis domus, templum & ciuitas Dei est, etiam sponsa ipse est. Sed omnia hæc sumus nos. Circumspicere igitur hūc opus est, vt verē intelligamus & cogi-

cogitemus, quæ domus patris familiæ huius, quod tem-  
 plum Dei, quæ ciuitas regis, quæ denique sponsi sit,  
 atque dicatur sponsi. Optimè enim hoc modo quid  
 per nos simus, & quid in Deo cognoscemus. Videbi-  
 mus, inquam, ad quam dignitatem quosque honores à  
 Christo conseruari simus. At ego super hoc non parum  
 vereor loqui quid sentiam: ne quis forsitan ab hoc audi-  
 torio, aut elatus præ magnitudine gloriæ, aut incre-  
 dulus præ pusillanimitate spiritus sui. Vtrobique e-  
 nim periculum est, si aut elati, aut increduli his effecti  
 fuerimus. Vbi enim gratiæ sit mentio, humilibus atque  
 credentibus opus est. Vtrumque enim requiritur. Deus  
 superbis resistit, inquit Petrus, humilibus autem dat  
 gratiam. De alio vero Paulus loquitur: Sine fide im-  
 possibile est placere Deo. Opto igitur, & omnibus mo-  
 dis cupio, vt & paruulos vos & magnos, imò vt plus  
 miremini nihil aliud quàm grande aliquid ei vos exhi-  
 beri curetis. Neque enim sine magno animo bona illa  
 tam magna capere, aut vim facere poteritis regno celo-  
 rum: non plus quam idem regnum celorum intrare:  
 Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut Paruuli. Non  
 sum homo profundi sensus: nam possum vobis quod  
 non gustauerim eructare. Dicam tamen quod interdum  
 in me sentiam actitari, vt si quis fortè vtile sibi iudicaue-  
 rit, imitetur. Quia enim olim persuasum est mihi, vt mi-  
 serear animæ meæ, placiturus exinde Deo meo frequen-  
 ter de eo recogito, vtinam autem magis semper liceret.  
 Erat quando id actitari minimè libebat, nempe quod mi-  
 nus, si tamen minus & non magis minimè diligerem eā.  
 Quomodo enim quis amat, cuius mortem amat? Quod  
 si vt verum est, & indubitabile, mors animæ iniquitas est:  
 absolutam proinde liquet esse sententiam: quod iniqui-  
 tatem qui diligit, odit animam suam. Oderam ergo eam,  
 & odissem adhuc: nisi hoc mihi quodcūque amoris ini-  
 tium eius, is qui prior eam dilexerat, contulisset. Ipsius  
 proinde beneficio subinde de eā cogitans, videor mihi  
 in ea (fateor) velut duo quædam contraria inuenire. Si  
 ipsam prout in se est, ex se, iuxta rei veritatem intueor:  
 nihil de eā verius sentire possum: quàm ad nihilum esse  
 redactam. Quid modo necesse est singulas eius meferias

1. Pet. 5.

Heb. 11.

Mat. 18.

Eccl. 20.

Psal. 14.

A a nunc.

- numerare? quam sit onerata peccatis, effusa tenebris, irre-  
 retita illecebris, pruriens concupiscentijs, obnoxia pas-  
 sionibus, impleta illusionibus, prona semper ad ma-  
 lum, in vitium omne proclius, postremo totius igno-  
 rantiae & confusionis impleta. Nimirum si ipse quoque  
 iustitiae nostrae omnes ad lumen veritatis inspicit, ve-  
 lut pannus menstruatae inveniuntur, iniustitiae deinceps  
 quales reputabuntur? Si lumen quod in nobis, tenebrae  
 quantae erunt? Facile est cuique nostrum si sua vniuer-  
 sa melius, & sine dissimulatione vestiget, & iudicet si-  
 ne acceptione personae attestari per omnia Apostoli-  
 cae veritati, liberè proclamare: Qui se putat aliquem  
 esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Quid est homo, quia  
 magnificas eum (aut fidelis & deuota confessio) aut ap-  
 ponit erga eum cor tuum? Quid? sine dubio: vanita-  
 ti similis factus est homo, ad nihilum reductus est ho-  
 mo, nihil est homo. Quomodo tamen penitus nihil  
 est homo, quem magnificat Deus? Quomodo nihil,  
 erga quem appositum est cor diuinum? Respiceremus,  
 fratres, & si nihil sumus in cordibus nostris, forte in  
 corde Dei potest aliud latere de nobis. O pater mise-  
 ricordiarum: O pater miserorum: quid apponis erga  
 eos cor tuum? Scio, scio: vbi est thesaurus tuus, ibi est  
 & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus  
 tuus sumus? Omnes gentes quasi non sint, sic sunt ap-  
 pud te, & tanquam nihilum & inane reputabuntur. Si-  
 quidem apud te, & sed non in affectu pietatis tuae. Ni-  
 mirum vocas ea quae non sunt: tanquam ea quae sunt.  
 Sic nimirum sic consolaris in tua pietate, quem in ve-  
 ritate tua humiliasti, vt magnifice dilatetur in tuis, qui  
 merito angustatur in visceribus suis. Siquidem vni-  
 uersae viae tuae misericordia & veritas, requirentibus  
 Testamentum tuum, & testimonia tua. Testamentum  
 vtique pietatis, & testimonia veritatis, lege homo in  
 corde tuo, lege intra te ipsum, de te ipso testimonia  
 veritatis, etiam hac communi luce iudicabis te indi-  
 gnum. Lege in corde Dei Testamentum, quod firma-  
 tum est in sanguine mediatoris: & inuenies quam lon-  
 ge aliud spe possidere, quam re tenere videris. Quid  
 est, inquit, homo quia magnificas eum? Magnus vti-  
 que:

que : sed in illo : si quidem magnificatus est ab illo. Aut quomodo non magnus apud illum, cui tam magna cura est de illo ? Ipsi enim cura est de nobis, ait Apostolus Petrus. Et propheta, Ego autem mendicus sum & pauper homo sollicitus est mei. Planè artificiosa connexio vtriusque considerationis : qua velut vno momento descendens, pariter & ascendens, se & pauperem & mendicum, & Deum pro se sollicitum vidit. Quod autem de se David testatur, idem nobis contingit. An non sollicitum se Deus nostri ostendit, quod immeritos in domum suam, in domesticos suos suscepit ? In templum suum, quod inhabitet, nos sanctificauit ? In ciuitatis suae Ciues in quibus in perpetuum regnare vult, incorporauit ? denique in sponsam suam, cum qua omnia communia habere velit, elegit ? Vtique hæc tanta bona humanus animus concipere non potest Vnde non absurdè cum Nicodemo dixerim : Quomodo possunt hæc fieri ? Et cum Apostolis : si ea hominum conditio est, quis poterit saluus fieri ? Et quis hæc de Deo sibi polliceri possit ? Sed quid Christus ait : Apud homines quidem hoc impossibile est, sed non apud Deum. Hæc tota fiducia nostra, hæc vnica consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate iam certi, de voluntate quid agimus ? Quis scit si est dignus amore an odio ? Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit ? Hic iam planè nobis fidem subuenire necesse est : hic oportet succurrere veritatem, vt quod de nobis latet in corde patris, nobis per ipsius spiritum, & spiritus eius testificans, spiritui nostro persuadeat quod filij Dei sumus. Proinde Scripturas, hoc est, testimonia Spiritus sancti in his rebus, audi : Omnem curam vestram proijcientes in eum, inquit Petrus, quoniam ipsi cura est de vobis. Et Nolite solliciti esse, scit enim pater vester cœlestis quia his omnibus indigetis. Et ipse pater amat vos, quia vos me amatis. Et alibi : Noli timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vobis, dare vobis regnum. An non hæc certa testimonia sunt, quia domestici Dei sumus ? An nescitis, Paulus ait, quod templum Dei estis vos, & spiritus sanctus habitat in vobis ? Et iterum : Vos enim estis templum Dei vi-

1. Pet. 5.

Psal. 39.

Ioan. 3.

Mat. 19.

Eccle. 9.

Rom. 11.

1. Pet. 5.

Matt. 6.

Ioan. 16.

Lucæ. 12.

1. Cor. 3.

2. Cor. 6.

- ui, sicut Deus dicit, quoniam inhabitabo in illis, & in-  
ambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt  
Apoc. 21. mihi populus, & Ioannes: Ecce tabernaculum Dei cum  
hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius e-  
runt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. An non &  
hæc certa testimonia sunt, quia templum Dei sumus  
nos? Sed & de reliquo accipiamus. Accessistis ad Sion  
Hebr. 12. montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœle-  
stem, & multorum milium angelorum frequentiam. An  
non & hæc verba, quia nos ciuitas Dei sumus, satis de-  
monstrant? Et in Osee Dominus ait. Desponsauit te mi-  
hi in fide, desponsauit te, in iudicio, & iustitia, eius nō tuā  
Osee. 2. intellige, desponsauit te misericordia & miserationibus.  
Et hæc quidem testantur etiam sponsam nos esse. Hoc  
modo hodierna celebritas duo nobis meditanda docet:  
quid in & ex nobis sumus, & quid in Deo. Si in nos ip-  
sos respicimus nihil sumus, si verò secundum fidem nos  
iudicauerimus, magni sumus: nimirū domus, templū, ci-  
uitas & sponsa Dei. Hæc omnia sumus, sed non in no-  
bis: sed in corde Dei, inquam sumus, sed gratia Dei, &  
non ex dignitate nostra. Non ergo abutamur illo quod  
Dei est, nec præsumamus nosmet magnificare. Alioqui  
enim & Deus quod suum est, faciet: efferos superbos-  
que humiliabit, & sublimia deiiciet. Quandoquidem  
ergo isthæc demonstrauius, nunc porro ad ea que res-  
tant, transcendamus: Nimirum vt dignè ambulemus  
in ea vocatione & dignitate, qua vocauit nos, & in quā  
prædestinauit nos Deus. Si ergo domus Dei sumus, &  
domestici eius, Deum patrem familiās agnoscamus, &  
ab ipso omnia petamus & expectemus. Cum oraueritis,  
Matth. 6. inquit, dicite: Pater noster qui es in cœlis: Panem no-  
strum quotidianum da nobis hodie. Et Dauid ait: Ve-  
nite adoremus & procidamus ante Deum, quia ipse est  
Psalm. 94. Dominus Deus noster, nos autem populus eius. Et hæc  
donum Dei docent. Deinde, si templum nos Dei su-  
mus, sanctitati studeamus. Domum enim Dei decet san-  
ctitudo. Estote sancti, ait omnipotens, sicut & ego san-  
ctus sum, Dominus Deus vester. Vnde Paulus ait: Si  
2. Cor. 3. quis templum Dei violauerit, disperdet illū Deus. Præ-  
terea si ciuitas nos Dei sumus, pacem vnitatemque se-  
ctemur.

æmur. Deus enim non est Deus dissensionis, sed pacis. Hinc & Paulus monet dicens: Pacem sectamini cum omnibus, cum sanctimonia, sine qua nemo Deum videbit. Hæc enim est, quæ facit habitare vnus moris in domo. Vbiunque enim sine vinculo pacis, sine legis obedientia, sine disciplina & regimine, sine capite populus congregatur & confluit, non iam populus, sed turba: non ciuitas, sed promiscua iniquies est, Babyloni, non Ierusalem similis. Postremò, si nos sponsa Dei, quæ sponsæ sunt, hoc est, dilectionem fidemque illi præstamus. Eadem enim & ipse nobis primum præstitit. Si ergo per abundantem refectionem magni patrisfamiliæ domus esse probamur: si templum Dei per sanctificationem, si ciuitas summi Regis per socialis vitæ communionem: sponsa immortalis sponsi per dilectionem: puto iam non esse quod dicere vereor, nostram esse solennitatem. Collætemur ergo Angelis Dei, & in Domino gaudeamus, inque gratiarum actione præsens solennitas transigatur. Ecce hoc modo Veteres de dedicatione prædicauerunt. Et quis non videt, etiam Christi D E I gratia ipsos prædicauisse? Sanè si hos assiduò reuoluerimus, præstaret quàm alios, nescio quos, legere atque audire. Quod si his prædicandi in Ecclesia locum daremus, vtique multorum, qui nunc omnium sibi ascribere scientiam non verentur, ora obturarent. Quod si hos in consilium aduocassemus, certè non in eam leuitatem deuenissemus. Et hæc de prædicatoribus vetustioribus dicere hac vice volui.

# SERMO SECVNDVS

*quæ olim patrum in hac festiuitate fuerit deuotio, & quomodo nobis eadem celebranda sit.*

SI quis ignorat quanto studio Satan iam inde ab initio rerum, vsque in hæc nostra tempora, quicquid vspiam salubre, quicquid bonum, quicquid pium, sanctum atque diuinum est, aut omnino tollere ac dispendere, aut saltem labefactari, nitatur: vel ex sola hac festiuitate, quæ cùm in veteri, tum in nouo Testamento, tam firmum fundamentum atque principium habet, facile intelliget. Verum eiusmodi festa pene apud om-

- nes aut in abusum , aut omnino in nihilum deuenerunt atq; redacta sunt. Veteris Testamenti historia tradit qua exultatione, quo gaudio populus ille Israheliticus festam diem celebrauerit, quando Moses tabernaculum foederis Domini erexitset, nempe per hoc omnia bona sibi à Deo pollicebantur, ducebantque argumentum esse, quod DEVS in ipsis habitare elegerit. Longè verò
3. Reg. 8. maris gaudium ostendebant, quando adificatum recēs templum Salomon sanctificabat. Idque meritò. Quandiu enim tabernaculo pro templo utebantur, ac saepe mouebant: utique adhuc timere poterant nondum certò statuissē Deum, inter ipsos perpetuò habitare. At edificato templo, tum demum perpetuam Dei praesentiam sibi polliceri poterant. Ea propter magis in templi, quàm in tabernaculi dedicatione exultauerunt. Ceterum occupato deinde templo, & profanato Antiocho, postea verò à Machabæis recuperaretur purgareturq;, denuo populus turmatim aduolat, templum rursus dedicaturus, perinde ac si recens fuisset edificatum, itaque pristinum innouabant gaudium. Idem Patres nostros fecisse, testis est Iosephus, qui multis ostendit Christianos post persecutiones, desolata templa repetiisse, repurgasse, atque dedicasse: Desuncto eo, inquit, qui erga Christianos nunc inaudita crudelitate, nunc simulata uenia agebat, aperta indulgentia legitimorum principum, & absque vlla iam suspitione, Ecclesiarum status multo etiam clarior quàm prius fuerat, reparari coepit. Verbum verò Dei & doctrina Christi longè gloriolius & liberiorius propagabatur. Tum verò inimicis poenitudo vltima atrocitatis & crudelitatis suæ, ita ut pudesceret eos aspectus ipse publicus, nec eleuare oculos in hominum faciē auderent. Et mox: Interea festiuitates à nostris frequentissimè gerebantur cum omni lætitiā & exultatione, per vrbes & loca singula Ecclesiarū dedicationibus celebratis. Congregabatur in vnum sacerdotes, nec pigebat longè positos conuenire, quia nullum longū videbatur spaciū charitati. Ecce hoc dedicationū nostrarum initium, atq; eo quidem modo celebratæ sunt. Verum mox deinde dormitantibus pastoribus, venit inimicus ille Diabolus, & malum semen conserminauit, id quod

quod ita exerceat quidem, vt vix quicquam boni seminis super sit, ita plane, vt & nostræ etiam nūm dedicationes, nihil ferē, præter commessationes & nundinæ sint. His rebus nostro seculo occupantur homines, & quidē tanto studio, vt ne quidem semel, quid dedicationum sit solennitas, cogitare libeat. Atque huius peruersitatis nobis ipsis exemplum sumus. Et Moguntina dedicatio non modò longè lateq; cognita est, verum etiam ab omnibus honoratur: nec dubito quin multi pij hæc secum cogitent. Ecce & nos Moguntinam dedicationem celebramus: quanta igitur, huius festiuitatis solennitas Moguntinæ erit? quàm illic plena omnia gaudijs, plena deuotione! Ipse ergo eò me conferam, vt communi gaudio tantę solennitatis participem. Hæc ratione, inquam, non dubito plurimos motos, atque huc aduenisse, spirituale gaudium internamq; lætitiā visuri: & tam frigidè nos quidem, tam etiam negligenter agimus, vt si extranei illi in templo circumspectiant, vix vnum atque alterum in concione videant. Alij enim foris ventri & baccho inserviunt, alij famulantur Mammonæ: itaque sit vt in templo præter externos videatur nemo, hī dedicationis nostræ festiuitatem celebrant, nobis interea alijs rebus occupatis. An non hoc ingens nobis imò sempiternum dedecus? Quod si toto anno negligentiores fuissemus, vel hoc saltem die diligentius maioreq; pietate tamen omnia agere, quo externos nostro exemplo ad pietatē moneremus, oportuit. Sed contrarium agimus: quid ergo exterorum de nobis fama loquetur? Et quomodo nostro exemplo meliores efficiantur? Fit ergo vt qui huc, pietatem deuotionemq; suam aucturi aduenerāt, nihil præter pigritiam, in omni pietate frigidiores damnum reportent, ne dicā interea de scandalo, quod in vitæ nostræ impietate haurire possunt. Et omnes quidem vicinos nostros, nostro exemplo discere oportebat quò diligentius verbum Dei audirent, maiori pietate diuinis honoribus insisterent, promptiores orationi vacarent, constantius pijs cæremoniis serua- rent, tum etiā suas priuatas festiuitates maiore deuotione celebrarent. Sed omnino contrariū in nobis cōsiderant. Et quid tandē summo iudici respondebimus, quod

quos ad pietatem nostro exemplo trahere decebat, à vera pietate atq; deuotione detrahimus? Non hac via, nò hoc conseruanda Religionis medium est. Quod si ita perrexerimus, nunqua sanè ad antiquum reuocabimus, qui ab Ecclesia dissipati sunt. Necessarium igitur iudicauimus, rursus aliquid de festiuitatis huius uero usu nonnihil dicere, si fortè aliqui expergefacti, quod ad rem faciatur, cogitare cœperint: Idq; ut fiat sua gratia Deus præstet. Principio igitur nemo miretur festiuitatē hanc nomen suū ab externa hac domo fortiri. Inter ea enim quæ hodie in Ecclesia cantantur, quædam etiam inducuntur ea autoritate, ut ipsa quoque in hanc festiuitatem pertinere, nemo possit dubitare. Id uerò iā per exempla docebo: Certum est, Euangelium hoc in omnibus dedicationibus legi, neq; tamen vel Ecclesiæ, vel domus huius minimo vocabulo meminit: tātumq; de interna Zachari domo, cui salus facta est ex Christi præsentia, loquitur. Neq; tamen incongruè hic monemur, hac in festiuitate conscientias, quisq; suam perscrutari. Idq; nonnihil diligentius quàm alias consueuimus. Quid enim alioqui hoc Euangelio hac die opus fuisset? Deinde nec in Epistola templi externi fit mentio, sed tantum de sancta ciuitate Ierusalem loquitur: Ierusalem, nunquam quæ ciuitas Regis magni, Deiq; uiuī, in qua ipse Deus cum suo populo habitat. Vnde liquet, in templorum dedicationibus, etiam Catholicæ, hoc est, vniuersalis Ecclesiæ locum habere meditationem. Præterea sunt & aliæ cantiones, quæ nos cœlestis Ierusalem commonefaciant, ut quæ in uesperis in hymno cecinimus: Vrbs beata Ierusalem, dicta pacis uisio, quæ construitur in cœlis uiuis ex lapidibus, & angelis coornata, ut sponsata comite. Hæc inquam, nec de externo templo, nec de huius temporis Ecclesiā, sed de cœlesti patria intelligitur. Sic ergo præsens festiuitas ab externa domo incipit, si mulq; ijs quæ modo recēsiui, dictis, & conscientia, & Ecclesiam militante, & futurā patriam cōprehendit. Et sanè nò absurdè mirari quis possit, cur tot vna uice meditanda proponantur. Sed nihil nouum fit ijs qui diuina diligenter indagare norunt. Hi sæpe ab una meditatione in aliam transseunt, planeq; ad maxima transcendunt, nempe

nempe

necepe ab infimis exordiuntur, & vsq; ad summum per-  
tingunt. Id quod in prophetis videre est, maxime verò  
in Dauide, qui in omnibus fero. Psalmis hoc studet, vt à  
minimis occasione sumpta, summa attingens meditetur.  
Age igitur vnico id vnus dicti exemplo discamus: **2. Reg. 7.**  
Contemnerant & huic festiuitati nostrę. Ait ergo Psalmista:  
Letatus sum in his quę dicta sunt mihi, in domum domi Psal. 123.  
ni ibimus. Hoc in Psalmo Propheta exorditur à templo,  
non quidem ædificato, sed promisso. Quando impleti  
fuerint dies tui, & dormieris cū patribus tuis, suscita-  
bo semen tuum. post te, quod egredietur de utero tuo.  
& firmabo regnū ei⁹. Ipse edificabit domū nomini meo,  
& stabiliam thronum regni eius, vsque in sempiternum.  
Hanc igitur diuinam promissionem, tam grātanti ani-  
mo Dauid suscipit, vt non posset quin & alijs eam ma-  
nifestaret: Letatus sum, inquit, in his quę dicta sunt mi-  
hi. Ac si diceret: Quām ingentis ego verba latitig audi-  
ui fratres: Patres nostri quadringentis annis peragrarūt  
vagus sedibus, nūc in terra Chanaan, nūc in Aegypto,  
nūc in deserto nulla consolatione freti, nisi quod fide  
Dei promissā de futuro apprehenderet. Prorogatis ve-  
rò promissis, tabernaculū in medio ipsorum erigi iussit,  
nēpe, quod ipse inter eos habitaret significans. Verū  
nūc in promissā terra positus nobis: maiora suę benefi-  
centiæ signa edidit, domū nomini suo ædificari vult, vel  
ideo, vt agnoscamus non iā vagā sedem: sed manentem  
locum in sempiternum inter nōs habitare velit. Et hanc  
domum Salomon filius meus extruet. Huius rei gratia ad  
me promissio facta est. Letatus ergo sum. Neq; enim o-  
ptabilis quicquam mihi posset cōtingere. Quod si & ve-  
stras mentes vlla insedit pietas, simul & ipsi mecum gra-  
tantibus psallite vocibus: Ecce hoc Psalmi huius inuitū  
Dauid fecit. His cogitationibus circa externum templū,  
quod tamen nondum videbat, occupatur: tantūque  
promissione ipsius fretus, exultat. Præterea quę ad ædi-  
ficationem templi huius necessaria videbantur, parat.  
Leuitarum, qui templi ministerio incumbere, ordine  
disponit, haud secus se in omnibus gerēs quā si iā ædi-  
ficatū fuisset templū, instat omni diligētia vt omnia re-  
ctius succederent. Et quanquam ipse nunquā eiusmodi

templum esset visurus, particeps tamen eius esse voluit,  
& omnibus innotescere, quantā sit beneficētia diuinę,  
firmam inter ipsos domum habere. Et hic primi versus  
sensus est, quo ait: Latatus sum in his quę dicta sunt mi-  
hi. In secundo versu externę domus nō meminit, de san-  
cta ciuitate Dei tantū loquens Ierusalē, & hęc exquisi-  
tissimis verbis ita describit, vt quam ciuitatē significet,  
cuius sit facilē colligere: Ac si diceret: Quid de vna so-  
lūm domo per Salomonē edificāda loquor? est quidē &  
illud gratia, qua pusillanimitatem nostram Deus conso-  
latur, sed maiora ego pręuideo. Nō vna aliqua domo di-  
ctū mihi est, sed de magna ac celebri ciuitate, quę voca-  
tur Ierusalē, nec de eā quę olim extructa est loquor: ad-  
huc edificāda est, imo iam nunc edificatur, quā dico.  
Neq; tamē oculis exposita erit corporeis: sed quę admo-  
dum hęc est, ciuitas habitura est similitudinē, imō verō  
omnes absolutę ciuitatis conditiones. Illic nemo quod  
suum est tuebitur, sed partes in cōmune conferentes to-  
tū facient vnū. Nec vlla illie videbitur leuitas, sed ascen-  
dēt omnes ad cōsistendum nomini domini. Deniq; nulla  
etiā illie dominabitur iniquitas, sed omnes sedebūt sedi-  
bus iudicij & veritatis. Hęc dicta sunt mihi: propterea  
latatus sum. Vt ergo certissimū est, filiū meū Salomo-  
nem edificaturū esse templū, ita etiā indubitatū fi-  
lius pariter atq; Dominus meus Messias, hanc nobis ci-  
uitatē extruct. Si ergo letitia nobis est, certā sede inter  
nos habitare Deū, quod gadium, quā uē omnium exul-  
tatio erit, vbi ipse Deus eā ciuitatē extruxerit, priusquē  
fundamētis superēdificauerit? Quā propter quē ad huius  
ciuitatis cōseruationē faciunt, quę ad pacē sunt Ierusa-  
lē precor & abundantia diligentibus eā. Fiat pax in virtu-  
te tuā, & licet ipse hanc tuā gloriā videre nō potero, pro-  
pter tamen fratres meos & proximos meos loquor pa-  
cem de te, imō propter inhabitatorem tuum Deū meū,  
quāro & precor omnia bonatibi. Ecce hunc vobis hic  
libuit proponere psalmū, vt nemo miretur, non vnū ali-  
quid tantum cōsiderandū hodiē nobis proponi. Nam  
& David vnico psalmo à domo Dei incipit, sed postea  
rā graphicē, tantaq; de ciuitate Dei loquitur, vt planē e-  
ius quod de domo Dei seu tēplo proposuerat, oblitus vi-  
deatur.

deatur. Quod si hunc ipsum cū festiuitatis huius cantio-  
nibus separauero, nō possum nisi vnū eundemq; vtro-  
biq; adfuisse spiritū iudicare. Quē enim Dauid vno illo  
psalmo nō modō de domo verum etiā de Ciuitate Dei  
loqui permouit idē quoq; patres Ecclesie sua inspiratio-  
ne docuit, vt nos in externi tēpli cōsideratione, etiā ani-  
marum nostrarū, simulq; cū militantis tūm triūphan-  
tis Ecclesie recordari, admoneāt. Præterea etiā peculiaris **Gene. 28.**  
quædam, & sæpe repetita sit mētro scālæ quā prius quon-  
dam Iacob in somnis in haram vidit, cuius summitas cœ-  
los tangebāt, in qua angeli Dei ascende bant & descen-  
debant. Et meo quidē iudicio hos firmissimos scālæ gra-  
dus arbitror, quibus cœlum conscenditur. Principio ni-  
hil leuissimorum hominum curare dicta, sed cum Dauid **Psal. 25.**  
dicere: Dilexi decorem domus tuæ Domine, Non sedis  
cum concilio vanitatis. Et: Introibo in domum tuā, si-  
mulq; quæ Dauid erga externam domum pietas fuit,  
rit, quos sumptus eius causa fecerit, quo ordine omnia  
instituerit, cogitare. Tū vero quid alij in hanc rem conta-  
lerint, vt Ezechias, Iosias, Esdras, Zorobabel, Iudas Ma-  
chabeus, postremo etiā quid ij qui ante nos fuerunt pa-  
tres nostri fecerāt, quid etiam nū multi pij in Templū et  
tūmq; Dei cōferant memoriā colligere. Hec quilibet  
cogitauerit, modō vel guttulam virtutis in se habuerit, nō  
stram modō nō irreligiositatem arguet, qui nō vt ita  
dicam similia facimus, verum etiam sacrilegis manibus,  
quæ alij maximo sumpto instituerunt, demolimur & na-  
pimus. Et hic iam primus gradus scālæ nostræ esset. Tū  
vero si quis secum cogitauerit, quā patres & externam  
templi domum politrē custodiuerint, quā exquisitis  
ornamentis instruxerint: impossibile est, quin hæc apud  
se mōsiter. Si ea externi templi, in quo verbum  
DEI prædicatur & sacramenta administrantur, est mun-  
dities, quæ mentium erit puritas in quibus ipse Deus in-  
habitat? Si ea erga externa Tempia est diligentia, quæ  
nō ita necessaria Deo sunt, quæ solitudine animæ, quæ  
ipse Christus liberauit, curandæ sunt? O sceditatem do-  
mus meæ, o impuritatem conscientie meæ, si ad ea quæ  
in externa domo hac video, comparauero. Ignosce do-  
mine, ignosce negligentie meæ, qui tanta ignauia cordis  
mei

mei domum tibi in habitaculum preparare negligo. Et hic secundus gradus est scalæ nostræ. Iam verò si quis hoc etiam cogitauerit, licet multi in vnam domum conuenimus, omnes tamen vno testō obtegi, omnes in vna domo orare, omnes vnum Deum eandemque salutem querere; vnam denique Euangelij doctrinam audire, iidem Sacramentis vti; aut, quemadmodum Paulus ait, omnes de vno pane participare, deque vno calice bibere, ideoque vnum panem idemque corpus fieri, perinde atque in externis rebus multæ domus vnam. Ciuitatem, multi ciues vnam Republicam constituunt, omnes tamen vnus domini imperio subesse, iidem legibus, priuilegijs, eodem iure ciuili vti: hæc, inquam, si quis cogitauerit, iam tertium gradum conscendit, eamque ciuitatem, cuius Ioannes in Epistola, & Dauid in hoc Psalmo meminit, conspiciat. Hic, inquam, ex plurimis vnum fit. Licet enim multi simus, qui credimus, vnum tamen in Christo sumus: & quælibet licet ciuitas suam propriam Ecclesiam communionemque habeat omnem, tamē vita est Ecclesia. Et, vt in summa dicā: quemadmodum multi homines, domus multæ domus vnam rempub. statuunt, ita & omnes multi in vnum dirigimur. Pater, inquit Christus rogo, vt omnes sint, sicut & tu pater in me et ego in te, vt et ipsi in nobis vnum sint, vt credat Mūdus, quia tu me misisti. Et Eddras Dominator domine ex omni sylua terræ & ex omnibus arboribus eius elegisti vineam vnicam: & ex omni terra orbis, elegisti tibi foueam vnam: & ex omnibus floribus orbis elegisti tibi lilium vnum: & ex omnibus abyssis maris, replesti tibi riuum vnum: & ex omnibus ædificatis ciuitatibus, sanctificasti tibi metipsum Sion, ex omnibus creatis volatilibus, nominasti tibi columbā vnā, & ex omnibus plasmatis, pecoribus, prouidisti tibi ouē vnam, & ex omnibus multiplicatis populis, acquisiisti tibi populum vnum, & ab omnibus probatam legem donasti huic, quem desiderasti populo. Ex quibus sanē facile videmus, quid sit Ecclesia & qualis. Duo sunt quæ Ciuitatem faciunt: muri & portæ. Tria verò quæ exornant eam atque conseruant: Concordia ciuium, pietas religionis, iustitia Legum. Et vbi hæc vnquam in Ecclesia plenius fuerunt? Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.

Zach. 11.

577

circuitu.

cuitu. Et in Ioanne: Ego sum, inquit, ostiū. Videmus er- Ioan. 10.  
 go quia in Ecclesia rectus murus est, nimirum ipse Deus,  
 hic iustæ portæ sunt, nimirum Iesus Christus Dei filius,  
 Deus & homo, per quem si quis introierit, saluabitur, &  
 ingreditur & egreditur, & pascua inueniet. Hic verus  
 amor, verus Dei cultus, iustæque iudicia. Huic Ciuitati  
 nomen est Ierusalē, hic enim veræ pacis est visio, hic pax  
 inueniri atque haberi potest. At perpetuò hæc ciuitas cō-  
 struitur, tōsionibus & pressuris expoliti lapides suis coa-  
 prantur locis, per manum artificis, disponuntur perman-  
 suri sacris ædificijs. Architectus perpetuò incumbit stru-  
 cturæ, nec feriatur, nec cessat per crucem afflictionesque  
 expolire lapides, coaptat, quemque in suum locum dispo-  
 nit per legitimam vocationem & munus. Hæc cogita, &  
 haud dubiè nisi planè impius, pro huius ciuitatis pacē ro-  
 gabis ipse, & alios ad precandum Dauidico exemplo hor-  
 taberis, imò & ingemiscēs & eiulabis, hanc ciuitatē tam  
 miserè intestinis dissidijs laceratam, atque dirutam esse,  
 tum etiam collapsam erigere, restituere, instaurare cona-  
 beris, quocunque poteris studio. Idque propter fratres  
 & proximos tuos; imò propter donum Dei nostri, quæ  
 in hoc fundata est. Et hic tertius scalæ nostræ gradus est:  
 Quod si postremò & illud cogitatione sedula rumaue-  
 rimus, quod omnia ea, quæ hic habemus ac facimus, siue  
 in externo templo, siue in Ecclesia, nihil præter imaginē  
 esse verorum bonorū quæ in cœlis expectamus, iā sum-  
 mum gradum conscendimus, & Ierusalem quæ sursum  
 nos est attigimus, vbi omnia plenius perfectiusque vi-  
 debimus, habebimus atque peragemus. Hic vmbra, il-  
 lic verum lumen videre dabitur, hic quidem diuinas, sed  
 ad tempus, illic sempiternum audituri, laudes audimus:  
 hic Deum in verbo suo ac sacramentis præsentem habe-  
 mus, illic ipsum vti est habituri, imò ipso fruituri: hic re-  
 quiescunt corpora, illic vtrunque corpus requiescet &  
 anima. Et vt breuissimè cōprehendā quod sentio: si ima-  
 go tam suavis est, quæ dulcedo veritatis erit? Hæc confi-  
 dera, hæc meditare: & cum Dauid compelleris dicere:  
 Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, con- Psal. 83.  
 cupiscit & deficit anima mea in atria Dñi. Ecce hi qua-  
 tuor illi gradus sunt, per quos cœlum ascenditur. Vt pri-  
 mum

soluimus in externa domo in laude diuina gratiarūq; actio-  
ne inueniamur: deinde conscientie nostrae secretiora in-  
gressi, illic emundauerimus domū mentis: Tertiō cala-  
mitates cladēs q; Ecclesie consideremus, proq; virili  
nostra instaurandae incumbamus. Ac quarto denique o-  
mnium quae retro sunt obliuī, ad solā supernā cœli pa-  
triam cupide anhelamus. Sic sic angelos propinques ha-  
beremus, imō ipse se nobis Deus & videndum & audien-  
dum offerret: iisdemq; verbis quibus olim Iacob allo-  
quebatur, affabatur: Ego sum Dominus Deus Abraham  
Gen. 28. patris tui, & Isaac. Tertiā in qua requieſcis dabo tibi. Sa-  
ne omnes vicini in hanc vocem erumpentes, dicerent:  
Terribilis est locus iste: hic aliud profectō nihil est, nisi  
domus DEI, & porta cœli. Hinc omnes pij emenda-  
rentur, omnes inimici nostri confunderentur, imō  
verō Deum in nobis habitare fateri compellerentur.  
Sed quis non videt, quantum ab his distemus? Vtinā vel  
infimū gradū daretur conscendere, tantumq; in externis  
aliquāto honestius exhiberemus nos. Verū, quia nec hūc  
attingimus, nihil ceterorū in nobis certum est. Et quales  
tandē sumus, qui Christianū nomen nobis vindicamus?  
Quo tandē modo ceteros exuscitabimus, qua ratione ho-  
stium nostrorū ora obturabimus? Agitē ergo in hoc in-  
cumbamus, vt iam non modō professione nudā, verum-  
etiā ac multō magis facto Christiani simus, vt hoc in ex-  
terna domo tēpus ita impendamus, quo in supernā reci-  
piamur Ecclesiā, in cœlestem Ierusalem, vbi perpetuum  
gaudiū, sempiternaq; exultatio est. In hoc nostros pios  
conatus misericors adiuuet Dominus, Amen.

## SERMO TERTIVS.

August.  
serm. 5.  
de dedi-  
catione.

**V**T hic quem institui plus aliquando pōderis habeat  
sermo, exordio illius quaedam D. Augustini verba,  
quibus olim in hac festiuitate ad suos credētes vsus  
est, proponam. Celebritas, inquit, huius cōgregatio-  
nis dedicatio est domus orationis. Domus ergo nostrarū  
orationū ista, dom⁹ autē Dei nos ipsi. Si domus Dei nos  
ipsi, nos in hoc seculo aedificamur, vt in fine seculi dedi-  
cemur. Aedificium, imō aedificatio habet laborem, dedi-  
catio exultationem. Quod hic fiebat, quando ista surge-  
bant, hoc fit modō cum congregantur credentes in Chri-  
stum.

rum. Credendo enim quasi de syluis & montibus ligna  
& lapides præciduntur: cum verò cathedizantur, ba-  
ptizantur, formantur, tanquam inter manus fabrorum  
& opificum doleantur, collinantur, complanantur. Ve-  
runtamen domum Domini non faciunt, nisi quando  
charitate compaginantur. Ligna ista & lapides si non  
sibi certo ordine coherent, si non se pacificè innectèrèt,  
si non se inuicem coherèdo sibi quodammodo amarent,  
nemo huc intraret. Denique quando vides in aliqua fa-  
brica lapides & ligna bene sibi coherere, securus intras,  
ruinam non times. Volens ergo Dñs, non dissentionis,  
sed unitatis Deus & Dominus Iesus intrare, & in nobis  
habitare, tanquam ædificando dicebat: Mandatum nouū Ioan. 13.  
do vobis, vt diligatis vos inuicè. His D. Augustini ver-  
bis hūc exordiri libuit sermonē, duab⁹ potissimū ratio-  
nibus. Primò vt videamus nihil nos nouum facere, cum  
dedicationem annuam celebramus: nempe, cuius ipsius  
etiā Augustini tēporibus magna fuerit celebritas, dein-  
de, vt quā multa hoc nobis festo cogitanda proponan-  
tur cogitemus. Et quidē ab externa illa orationis domo  
Augustinus orditur, mox tamen ad eam, quæ nos sumus,  
domum, transit: nimirum magnam differentiam inter do-  
mum orationis, & domum Dei statuens. Orationis enim  
domum, hominum ædificarunt manus: quod autem nos  
Dei domus sumus, diuina operatio fecit. In hoc Deus pa-  
ter creauit nos, in hoc Deus filius redemit nos, in hoc  
Deus Spirit⁹ sanctus dedicauit atq; sanctificauit nos. Vn-  
de cū ista quod nos omnes opus manuum Dei simus,  
simul consitendū est omnibus, & pro se quisq; dicere ne-  
cesse habet. Manus, tuæ, Dñe, fecerūt me. Id quod ipse e-  
tiā Paulus vult cum ait: Nos Dei agricultura sumus. Hæc  
sanè differētia inter domū orationis & domum Dei dili-  
genter consideranda nobis est, ne, quod Iudæi, externā  
hanc domū respicientes, nostrimet ipsorū obliuiscamur.  
Neque enim quia orationis domum habeamus, satis est,  
fratres, vt nos quoq; Dei & simus, & maneamus domus  
laborandū est. Hic rei cardo versatur, huc quoq; in hac  
festiuitate patres respexerūt. Id quod in omnibus ipsorū  
sermonibus videre est, ijs nimirum quos de hac celebrita-  
te & conscripserunt, & post se posteritati reliquerūt. Et  
horum

1. Cor. 3.

horum ipse quoque exemplum sequar, atque hunc quē modo institui sermonem, cum D. Augustino ab orationis domo exordiar: tandem verò nobiscum, hoc est, cum domo Dei spiritali concludam. Vtrobique enim vitium est, utrobique eū animaduersione, tum emendatione opus est. Quod si verē Christiani nos sumus, consilio haud dubiè atque labore, tum precibus atque votis, utrobique vt pro voluntate res succedat feliciter, instabimus. Agē igitur succinctē quod vitij genus, & vbi sit, deinde qua ratione mederi possit indicabo, quo omnibus innotescat pijs, quā nunc cū in orationis, tum etiam ipsius in Dei domo periculose habitemus: tum admoneantur, quid cuique facto opus sit, spe futurum esse, vel aliquis tantum ex omnibus rectius efficiantur, vt tantum ardentius precemur Deum, qui ruinofam domū suam instauret, vt qui vnus optimē quā id ratione conferri possit, no-  
uit, ipsaque temporis oportunitas exigit. Ergo principio cum Aggæa propheta propono, qui ait: Quis in vobis est derelictus, qui vidit domū istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Nūquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? His verbis Aggæus populum Israël in instauratione templi, à Chaldaeorum Rege desolati atque exulti alloquitur: ideo tamen vt hinc consolandi eos sumeret materiam. Cum enim nonnulli superflites essent, qui primū illud templum viderant, ac postea nunc prae inopia non posse se pristinum templo decorem induere facili animaduerteant, pusillanimes facti eiulabant, ac misere sese exercebant, quemadmodum in Esdra videre est. Hinc iam Aggæus occurrit, Scio, inquit, primū illud templum eiusque decorē in memoriam reuocantibus, nullam huius videri comparationem, eoque abiectis esse animis. Sed quæ Dei sit intentio intelligite: Hæc enim dicit Dominus exercituum: pergite adificantes, nec vlla argenti aurique acquirendi cura afficiemini. Meum est argentum & meum est aurum. Nec vos huius templi terreat utilitas. Magna enim erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ dicit Dominus exercituum. Hoc modo Aggæus populum conferentem huius secundi templi utilitatem, cum prioris illius gloria atque magnificentia: non vt pudefaceret

Aggæ. 2.

1. Esd. 3.

Aggæ. 2.

aut

INTON

aut culparet, sed vt consolaretur & erigeret. Quanquam ipsorum culpa non erat, qui eandē secundo templo quæ fuerat olim primi optabant, inopia laborabant, & quod volebāt efficere facultas nōn erat. Propterea Deo possibile esse, Propheta ait, quod hominibus erat impossibile. Secus nostræ res habent, Si enim apertis oculis diligentius voluerimus attendere, facile videbimus domum Dei, siue orationis ædem, siue spirituale Dei Templum respicias, pristinæ magnificentie multum esse dissimile. At nostra id culpa. Possemus enim nos id, si modò voluntas adesset, emundare. Proinde nō nunc ego ista prophetica voce, quemadmodum Aggæus, pro consolandis vobis vsurpare possum, sed per ea nostram arguere neglietiam cogor, qui longè aliter quàm illi viuimus. Illi quidem libenter templi decorem magnificassent, si potuissent: nos possumus sed nolumus. Ideoq; ipsi quidem cōsolari merebantur, nos reprehensione digni sumus. Ad omnes igitur pios loquor: Quis in vobis est derelictus, qui vidit Domum istam in gloria sua prima? Quis tam simplex, qui dum hanc domum aspicit, quomodo extructa, decorata, dotata, quàm pulchrè statutis ordinationibusq; instructa sit, non fateatur, patribus nostris maiore in Deum Charitatem, in honestate deuotionem, in oratione ardorem, in verbo desiderium, tum etiam omnes in bonum ardentiores alacrioresq; fuisse, quàm nos in hac nostri temporis domo? Ad hæc ipsi fatemur, serò nos eam, si nō iam & extructa & decorata, dotataq; esset, vel ædificaturos vel dotaturos esse. Et quid hoc, nisi apertissimum indicium est, eā vel dilectionem, vel deuotionē, vel alacritatem, Deiq; timorem iam nō in nobis quæ olim in patribus esset? Imò quid, nisi quod ipsi palam, quàm in nosipso affecti, nec Deū nec diuina curamus loquimur? Et quid domū quā illi edificarūt nobis superesse, cū nulla pietatis adūt similitudo, prodest: Quid externè hanc domum exornare iuuat, & vera ornamenta nihil curare? Tum verò optimè ornatum in Templum, quando turmatim in illud cōcurrimus diuino cultui sincerè insistimus, ardentè oramus, cupidè verbum auscultamus, diligenter Sacramentis participamus. Tum, inquā, verè decorata est, quando vigilantibus ministris, grauibus sacer-

B b

dotibus,

dotibus, seueris prædicatoribus, deuotaq; plebe conferta est Ecclesia. Tum ornate omnia disposita sunt, quãdo omnes ingredientiẽs templum, vna domus Dei facti sunt: præ deum nihil querunt, amant, cogitant, parati seque suaq; omnia Deo offerre. Tales fuere Patres, idq; etiamnum ipsorum ostendunt vestigia, quibus nulla pecunie sumptuũq; vel paritas vel pœnitudo aderat, quãdo, si quid Deo impendendũ erat, nemo postremus esse volebat, quisq; ne quidem Christianum se putasset, si vel ea in re negligens fuisset, vel quicquam charius in omni sua facultate habuisset. An non hæ vehementer desiderantur ornamenta hac nostra tempestate? Consideremus, quomodo vel in Ecclesia, vel extra eam nos geramus, & quid tandem futurũ sit cogitemus. In Ecclesia, exigua omnũ deuotio, & si quid tamẽ facimus, ingenti id sit negligentia: vt taceã quẽ in ea, mala fiant, quẽ nonnullis & sanẽ non paucis, nil nisi nugarum, negotiationum, impietatis domus & spelunca latronum est, & quidem extra eam nil præter apertam manifestamq; impietatem videre, vbi planẽ obliuioni traditũ est, omne quicquid in Ecclesia sanæ doctrinẽ propositum est, quicquid pium exemplis ostẽsum est, nempe volucres cœli comedunt illud, illic quã vulgus hominum sit fide, dilectione, fructu, onniq; pudore vacua colligitur verbis atque factis. Illic, inquam, quã graua, inopiaq; vitia, quã immania peccata, facinora perpetrentur, abundant, regnẽt, & vt summa dicã, totus hic Mundus omnino solutus in omne malum est. Vitia atque dedecus nihil æstimantur, quodd omnes ijs submersi sint: contrã, beneficentia, fides, simplicitas, sobrietas, pudicitia, cõcordia nũquã perinde atq; modò rara inter Christianos fuẽre. In Ecclesia locus est Euangelio: scilicet foris nec locus illi, nec vacat tẽpus, nec minus absurdum est extra Ecclesiã Euangelij meminisse, quã si in enopolipode ieiunio verba facias: aut in taberna de contẽptu mundi: in lupanari de pudicitia prædices: ita omnũ propẽ mortaliũ mores, gestus, vita, cõsuetudinesq; in teporaneam natualemq; concupiscentiam propensẽ sunt, nimirũ Ethnico more. Merito ergo cũ Aggẽa dico consideremus fratres quomodo in hac se domo patres nostri gesserũt, qua ratione in ea cõ

mora ti

morati sunt, tum quàm nos illis dissimiles simus videamus. Quàm nò hæc dissimilitudo nos deceat, quis propterea finis expectandus sit, cogitemus. Omni qua possumus diligentia hoc agamus, vt pristina hæc domus gloriam suam recuperet. Ne nosmet confundamus, omnia in ea vt sint decora ordinataque, nos contra deformes & nudt. Propellite famā iniquam, quod præ cæteris plures ad pietatem occasiones habeatis, omnibus tamen pigriores & sitis & maneatis. Imò verò in huius domus consideratione, quam oia in spiritali domo Dei sint deformata cogitemus. Si quis in vobis, qui vidit domum istam in gloria sua prima, hic proculdubio facile quàm diuersi nostri mores sint cum patrum vita intelliget. Sed quis mihi prioris Ecclesiæ decorē enarrabit, inquis. Lege igitur Acta Apostolorum, lege patrū scripta. Deū immortalem, quàm hæc domus deformata, quàm est ruinosā Ecclesia. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, et nemo afficitur, non est qui consoletur eam, quisque suam domum ædificat, omnes momentaneum hoc tempus, in clamoribus, in furijs, adhuc in mortali corpore, mox vermibus esca futuro, positus, voluptuosè transigat: nemo quomodo piè consummet, tantumq; quæ commoda sunt, nò quæ honesta inquirimus, cum tamen apertè videmus ipsaq; experientia docemur nihil nos proficere: Seminamus multum, inferimus parum, per terras conquistatas mercedes in sacculū pertusum mittimus, inferimus in domos multa, & dñs exufflat in ea. An non hæc multis iā annis edocti sumus? Et quid cauere est? Quia domus Dei deserta est, eius curam omnes in ventum abijciunt, cum alius quid mea refert? inquit, tantumque soluendo vt sit, curat: alius hæc mihi minima omnium cura est, modò panem in domo mea habeam, ait: tertius deinde eho sacrificium, atque Monachorum res atque contentio est, qui dum alterutrum inuicem satis fuerint conuictiati, spòte cessabunt, clamat. Tum Principes rerū nihil agunt. Omnes quidem vitiatam domū cognoscunt, nemo manum applicat, ac tantū Christiani fidei cura tangimur: hæc, quæ nostra est pietas Ecclesiæ impèdimus. Olim cū Moses tabernaculū erigeret, omnis populus cōtribuebat, cui aurum nò erat, pilos caprarum

Thren. 4.

Agg. 2.

Bb a con-

2. Reg. 7. conferebat: isq; omnis erga Dei honos ac cultum ardor  
 1. Par. 29. erat, vt abundantibus quæ ad tabernaculi structuram requirebantur, omnibus, Moses per præconē ne quis præterea quicquā offerret, prohibere cogeretur. Dauid quoque præparatæ ea, quæ ædificatio tēplo per Salomonē necessaria erant, tam promptus erat populus, vt sublatis in altum manibus Dauid ad Dominum precaretur, vt isthæc in populo voluntas conseruaretur æterna. Sic Aggæa  
 Aggæ. 1. & 2. populum pro sua negligentia corripiente, scriptura Zorobabel omnemque populum confortatum fuisse commemorat. Sic & Ezechias Leuitas conuocatos alloquitur, dicens: Audite me Leuitæ, & sanctificamini, munda-  
 2. Par. 29. te domum Domini Dei patrum vestrorum, & auferte omnem immunditiam de sanctuario. Deinde etiam cohortans eos, addit: Tradite manus Domino, & venite ad sanctuarium eius, quod sanctificauit in æternum. Sic denique recuperato per Machabæos templo, quod Antiochus dissiparat, omnis multitudo gratanter instaurationi incumbit: Nos soli Ecclesiasticarum nostrarū domos collapsas negligimus, nemo illarum causam suscipit. Et quidem possemus, si voluntas adesset, omnes auxiliari, quando singuli vel vnum tantum emendare possemus, omnesq; ad Deū cū Machabæis clamare, vt desolati templi sui causam suscipiat, nec posthac ita illud erui permittat, nō sue eo modo in alienæ gentis potestate deuenire concedat, sed potius si quando labi contigerit, clementer corripiat, ac rursus in gratiam recipiat. Putāne eiusce modi oratio, è corde procedens ac vehemens, aliquid efficeret? Hæc inquam, ipsi etiam pauperes conferre possent, nempe nec aurum nec argentum impendere, sed voluntatem bonam, orationem sedulam, vitam innocentē, piūque coram liberis suis exemplū exhibere. Sed quanta potentes huic rei commodare possent, Seculares pariter atque Ecclesiastici? Sed hic laboratur, quod nemo manum rei applicat. Adhuc tū ipsoꝝ officij est, domus Dei cura tangi, nec vnquam hæres tam in abiectis, perditis, atq; desperatis esse possunt, quin, cōiunctis duorū horū Magistratuum auxilijs, restitui possint. Magnum quid Moses moliebatur, at cōiunctio fratre bene successit. Sed quis nos huc suo sermone inducet? Aggæus clamat: Ascē-  
 dite,

dite, & ligna afferte, Ezechias ait: Sanctificamini Leuitæ. Paulus Timotheo suo, & per hunc omnibus in Eccle-  
 2.Tim. 4.  
 siastica eminētia constitutus, scribit prædica verbum, in-  
 sta oportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni  
 patientia & doctrina. Sed frustra hæc oia. Ecce hoc vult  
 Aggeus, cū ascendere atq; ligna cædere iubet. At pecu-  
 liari Iosue atque Zorobabel admonitione hortatus, hoc  
 est, Ecclesiasticum atq; Seculare Magistratus affatur, ho-  
 rum id requirit officium, præ cæteris vt super domum  
 Dei intendant atque vigilent, horū etiam coniunctis au-  
 xilijs opus est, si modò tandem aliquando effectum vo-  
 luerimus. Sic Moses & Aaron, Dauid & Nathan, Eze-  
 chias & Leuitæ, Ioas & Ioiada, Iesus siue Iosue & Zoro-  
 babel auxilia consiliaque cōmunicabant. Ecclesiastici no-  
 stri prælati iustū zelum, diligentē curam, verum arden-  
 temq; amorē, constantes & sedulas prædicationes, vitam  
 piam, suaueolentia exempla, scientiam atque sapientiā iū-  
 medium adferant. Seculares Magistratus timorē, humi-  
 litatē, auxiliumque in regnum Dei conferant, quò super  
 omnia exaltetur. Deum immortalem quàm facilis esset  
 collapsæ Ecclesiæ instauratio, sic omnibus opem feren-  
 tibus. Hæc igitur cogitemus, horum enim præsens nos  
 admonet festiuitas, nempe qui se patres nostri in Eccle-  
 sia gesserunt, & quæ aliquando totius Ecclesiæ fuerit glo-  
 ria. Considerandum est quam longè vtrunque deflexeri-  
 mus, vt restituantur omnia opitulandum est. Ne nos his  
 postremis temporibus derelinquat Deus rogandus est,  
 verè enim aduersperascit. Ipsum orare decet: Mane nobis-  
 scū. Id ergo vt faciamus, diuina nos adiuuet gratia. Amē.

## S E R M O Q V A R T V S.

*Hæc festā die in secundam dominicam  
 post Trinitatem incidente.*

**V**Trunque Euangelium cum dominicale, cū dedica-  
 tionis festiuale conuiuij mentionē habet. Et in do-  
 minicali quidem Christus opiparā Cœnam, ad quā  
 multi sint vocati, proponit. Hic verò in festi huius Euan-  
 gelio Christus Zachæi conuiuia commemoratur. Atque  
 vtinam eo quo Zachæus modo conuiuia institueremus.  
 Ille enim inuitat pauperes. Ecce, inquit, dimidiū bono-  
 rum meorū do pauperibus. Quibus debebat, inuitabat.

B b 3 Et si,

Et si, potuit dicere, aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Inuitavit Christum, & cum gaudio suscipit. Hoc nemo cogitat: Sed hoc solum consideramus, quod conuiuia fuerit Christus. Sic etiā in alio Euangelio exemplum conuiuiorum veniatur. Id quod forte concedendū esset, si famuli nostri iussi ad exitus viarum & sepes pauperes vocarent, atque discumbere facerent. Sed rarō id fit. Eoque minus ad defendendas crapulam & commestationes nostras, hæc Euangelia faciunt. Aliud quiddam CHRISTVS requirebat, dum Cœnæ parabolam proponebat. non externa conuiuia, quemadmodum hodie dixi: tum etiam non commessandi gratia, sed vt quæreretur quod perierat, Zachæi domum ingressus est. Non suis commodis illic inhiabat, aut corporis voluptatem requirebat, sed spiritualia commoda, æternamque salutem intulit. Hodie salus huic domui facta est, inquit. Hoc CHRISTVS quæsiuit, ob hoc Zachæus exultauit. Nihil aliorum murmuraciones horrescebant. Neque enim propterea vel Christus quod inceperat, implere desistit, vel Zachæus à concepto piæ voluntatis proposito, relabatur. Huius rei Dedicatio nostra nos admonet, hoc considerandū est, eoq; modo hæc frequētāda est celebritas. Propterea enim hoc Euangelium legimus, vt & ipsi domorum nostrarū salutem quæramus. Quæris quarum: primum animæ atque conscientie. Et quæ salus illarum? Esse filios Abrahæ. Et quomodo id potest fieri? per fidem. Quæ verō fides illa Abrahæ? Quod in suo semine omnes populi benedicendi essent. Et quid est benedicere? Nempe æterna maledictione absolui. Hæc conscientiarum animarumque nostrarum salus est, Sed vbi hanc quærere necesse est? Illic, vbi Zachæus & quæsiuit & inuenit. Quæsiuit videre Iesum. Neque id per nosmet possumus, neque vlla creatura eam salutem conferre potest. Nisi enim Dominus ædificauerit domum, in vanum laborat, qui ædificant eam. Hūc prima fundamenta locare oportet, qui nisi incipit, omnia nostra recidunt. Quod si salutem nostram apud eum, qui potis est dare, quæserimus, etiā illa domui nostræ contingeret: quod quærimus, inueniemus. Vis autē adhuc aliam videre domum, cuius salus quæreda est. Sanctam Catholicam, Christianā, atq; Apostoli-

Luc. 19.

Psal. 116.

stolicā Ecclesiā cogita, hæc vera Dei viui dom<sup>o</sup> est. Quæ  
 autē huius salus est? Nempe, quando verē de ea dici po-  
 test: Ecce tabernaculū Dei cū hominibus. Hæc ipsa Ec-  
 clesiæ salus est, tū securē atq; optimē homines in Ec-  
 clesiā habitant, quādo Deus in ea commorans, agnoscitur,  
 creditur, laudatur, timetur, amaturq; vti Deus, quādo ip-  
 sum solum Deum nostrum esse, nos ipsius populus ma-  
 nere studemus, quādo ipsius consolationem internē, auxi-  
 lium defensionemq; eius externē experimur. Hæc, in-  
 quam, salus Ecclesiæ est. Et vbi quærenda hæc est? Apud  
 Christum. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vi-  
 gilant qui custodiunt eam. At quomodo illa quæritur. Id  
 Dauid verbis atque exemplo docet, cum ait: Rogate quæ  
 ad pacem sunt Ierusalem, & abundantia diligentibus te. Psal. 121.  
 Nihil enim ita atq; pax Ecclesiæ necessarium, maxime ve-  
 rō in turribus eius. Si enim illic discordia dissidiumque  
 fuerit, nempe in doctrina fidei, consistere ciuitas illa non  
 potest. Rogate ergo quæ ad pacem sunt, maxime ad pacē  
 turrium. Atque hæc illa Dauid doctrinæ vox est: fiat pax  
 in virtute tua, & abundantia in turribus tuis: propter fra-  
 tres meos & proximos meos loquebar pacem de te: pro-  
 pter domū Dei nostri, quæ sui bona tibi. Ecce hoc esset  
 salutem quærere totius Ecclesiæ domus nostræ. Sed hæc  
 externa domus silentio prætereunda non est, quia & ipsa  
 licet alio modo, salute indiget. Est autem illius domus sa-  
 lus hæc, quando verē ac grauiter in ea verbum Dei præ-  
 dicatur, Sacramēta rectē administrantur, Deus toto men-  
 tis affectu in ea benedicitur, illius gratia atque mirabilia  
 cogitantur, ignitæ ardentesque in ea preces afferuntur.  
 Hæc enim & nubes penetrant, quando in ea meditamur.  
 & incipimus, quæ in cœlis in æternum facturi sumus:  
 breuiter, quando domus illa orationis est, nemo eam  
 speluncam latronum faciat: quando Dei domus est, ne-  
 mo negotiationis tabernam faciat: si imago cœlestis est  
 Ierusalem, hoc est, si in ea meditanda, auspicāda quæ tan-  
 dem in æterna patria consequi speramus, pia sanctaque  
 conuersatione ornanda est. Hæc huius domus salus? Ve-  
 rùm vbi hæc quærenda est? Id modo atque forma Salo-  
 mon docet, qui perfectō templo quod Ierosolymis extru-  
 xerat pretiosissimo, coram altari, in populi totius frequen-

via expansis in cœlum manibus, Dixit: Domine Deus  
 Israël non est similis tui Deus in cœlo desuper & super  
 terram deorsum, qui custodis pactum, & misericordiam  
 seruis tuis, qui ambulât corâ te in toto corde suo, qui cu-  
 stodiui seruo tuo Dauid patri meo, quâ locutus es ei:  
 Ore locutus es, & manibus perfecisti, vt hæc dies pro-  
 bat. Nunc igitur Domine Deus Israël conserua famulo  
 tuo Dauid patri meo quâ locutus es ei, dicens: Nô ause-  
 retur de te corâ me, qui sedeat super thronû Israël. Ita ta-  
 men, si custodierint filij tui viam suâ, vt ambulent coram  
 me, sicut tu ambulasti in cōspectu meo. Et nunc dñe de-  
 us Israël, firmentur verba tua quâ locutus es seruo tuo  
 Dauid patri meo. Ergo ne putandum est, quòd verè De-  
 us habitat super terrâ? Si enim cœlum, & cœli cœlorû ca-  
 pere te non possunt, quomodo domus hæc quam ædifi-  
 caui tibi? Sed respice ad adorationē serui tui, & ad preces  
 eius Domine Deus meus. Audi hymnum & orationem  
 quam seruus tuus orat coram te hodie, vt sint oculi tui  
 aperti, & aures tuę intētę super domû istam nocte ac die:  
 super domû de qua dixisti: erit nomen meum ibi: vt ex-  
 audias orationē, quâ orat in loco isto seruus tuus: vt ex-  
 audias deprecationē serui tui & populi tui Israël, quod-  
 cunque orauerit in loco isto, & exaudies in loco habita-  
 culi tui in cœlo, & cū exaudieris, propitiū eris. Si pecca-  
 uerit homo in proximum suum, & habuerit aliquod iu-  
 ramentum, quo teneatur adstrictus, & venerit propter iu-  
 ramentum coram altari tuo in domum tuam: tu exaudies  
 in cœlo, & facies, & iudicabis seruos tuos, condemnans  
 impium, & reddens viam suam super caput eius, iustifi-  
 cansque iustum, & retribuens ei secundum iustitiam suâ.  
 II. Si fugerit populus tuus Israël inimicos suos (quia pecca-  
 turus est tibi) & agentes pœnitentiam & confitentes no-  
 mini tuo venerint & adorauerint, & deprecari te fue-  
 rint in domo hac, exaudi in cœlo, & dimitte peccati  
 populi tui Israël, & reduces eos in terram quam dedisti  
 patribus eorum. Si clausum fuerit cœlum, & non plue-  
 rit propter peccata eorum, & orantes in loco isto, pœ-  
 nitentiam egerint nomini tuo, & peccatis suis conuersi  
 fuerint, propter afflictionem suam: exaudi eos in cœlo,  
 & dimitte peccata seruorum tuorum, & populi tui Israël  
 & o-

& ostende eis viam bonam, per quam ambulent, & da pluuiam super terram quam dedisti populo tuo in possessionem. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus eius portas obsidens, omnis plaga, vniuersa infirmitas, cuncta deuotio & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israël, si quis cognouerit plagam cordis sui, & expande- rit manus suas in domo hac, tu exaudies in cælo, in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies vt des vniciueque secundum omnes vias suas, sicut videris cor eius: quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum, vt timeant te cunctis diebus quibus viuunt super faciem terræ quam dedisti patribus nostris. Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Israël, cum vene- rit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extensum vbique, Cum venerit ergo, & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus inuocauerit te alienigena: vt discant vniuersi populi terrarum nomen tuum timere: si aut populus tuus Israël, & probent quia nomen tuum inuocatum est, super domum hanc, quam ædificauimus. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocunq; miseris eos, orabunt te contra viam ciuitatis, quam elegisti, & contra domum, quam ædificauimus nomini tuo, & exaudies in cælo orationes eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum. Quod si peccauerint tibi (non est enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis suis, & captiui ducti fuerint in terram inimicorum, longe & propè, & egerint pœnitentiam in corde suo in loco captiuitatis, & conuersi deprecati te fuerint in captiuitate sua, dicentes: peccauimus, iniquè egimus, impiè gessimus, & reuersi fuerint ad te, in vniuerso corde suo, & tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captiui ducti fuerint & orauerint te, contra viam terræ suæ quam dedisti patribus eorum, ciuitatis quam elegisti, & templi quod ædificauimus nomini tuo: exaudies in cælo in firmamento solij tui orationes

III.

V.

VI.

1. Par. 6.

Ec. li. 8.

1. Ioan. 1.

Dan. 10.

B b 5 eorum,

eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum, & propriaberis populo tuo qui peccauit tibi: & omnibus iniquitatibus eorum, quibus preuaricati sunt in te, & dabis misericordiam coram eis qui eos captiuos habuerint, vt misereantur eis. Populus enim tuus est, & hereditas tua, quos eduxisti de terra Aegypti, de medio fornacis ferreae, vt sint oculi tui aperti ad deprecationem serui tui, & populi tui Israël, & exaudies eos in vniuersis pro quibus inuocauerint te. Tu enim separasti eos tibi in hereditatem de vniuersis populis terrae, sicut locutus es per Moysen seruum tuum, quando eduxisti patres nostros de Aegypto, Domine Deus, factum est autem cum complisset Salomon orans Dominum omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini. Vtrunque enim genu in terram fixerat, & manus expenderat in celum. Stetit ergo & benedixit omni Ecclesiae Israël voce magna, dicens: Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israël, iuxta omnia quae locutus est. Non cecidit ne vnus quidem sermo, ex omnibus bonis, quae locutus est per Moysen seruum suum. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, nō derelinquens nos, neque proijciens, sed inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis vijs eius custodiamus mandata eius, & caeremonias & iudicia quaecunque mandauit patribus nostris: & sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes coram Domino Deo nostro die ac nocte: vt faciat iudiciū seruo suo & populo suo Israël per singulos dies, & sciāt oēs populi terrae, quia Dominus ipse est Deus & nō est vltra absque eo, sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, vt ambulemus in decretis eius, & custodiamus mandata eius sicut & hodie. Igitur Rex & omnis Israël cum eo immolabant victimas coram Domino. Mastrauitq; Salomon hostias pacificas, quas immolauit Domino, boum viginti duo milia, & auium cetum viginti milia. Et dedicauerunt templum Domini Rex & filij Israël. In die illa sanctificauit Rex medium atrij, quod erat ante domū Dñi. Fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium, & adipem pacificorum: quoniam

niam

niam altare æreū quod erat corā domino, minus erat, & capere non poterat holocaustum & sacrificium, adipem pacificorū. Fecit ergo Salomon in illo tempore festiuitatem celebrem, & omnis Israël cum eo, multitudo magna ab introitu Hemath vsque ad riuum Aegypti, coram domino Deo nostro septem diebus, & septem diebus, id est, quatuordecim diebus, & in die octauo dimisit populos. Qui benedicentes Regi profecti sunt in tabernacula sua, lætantes & alacri corde, super omnibus bonis, quæ fecerat dominus Dauid seruo suo, & Israël populo suo. Ecce hoc est planè & vbique domui nostræ salutem quæsiuisse. Et hic quidem facile est cuius, quæ pijs cogitanda hodie proposita sint. Atque vtinam eiusmodi cogitationibus occuparemur. Quid enim vtilius, quid magis necessariū, maxime his temporibus, quando admodū inualide domus nostra perstat, intus exteriusq; temporaneè spiritualiter: priuatim atque in genere? Et quid multis? Securis ad radicem arboris posita est: Propterea quæcunque arbor non facit fructum bonum Mat. 3.  
excidetur & in ignem mittetur. Saluitem, fratres, domus Phil. 4.  
nostræ quæramus, dum CHRIS TVS adhuc in via est, inuocemus eum dum propè est. Sanè eiusmodi materia dicendi digna est præsens celebritas, tum multa factis mihi illa Salomonis historia occasio dicendi offertur, quando omnino eum locum attigimus, vbi diligentia templum ædificari commemoratur: non inconueniens nostræ dedicationi materia. Sed periculosa hæc motiones bellorumque rumores in causa sunt, vt nihil præter lamentari ac queri possim. Propterea & hunc ipsum sermonem cum Dauidis querela concludam. Et forte eiusmodi querela faciet, vt propriæ inopiæ agnitionem, commissæ scelera cognoscamus, hinc pro vitæ commendatione ardentè orare discamus. Id enim maxime necessarium erit: Ionæ enim prædicatio considerari vult. Illi quidem populo quadraginta dies pœnitentiæ contulit, an idem tempus nobis detur, incerti sumus. Et quæ illa Dauid querela? Domine D E V S quousque irasceris super orationem serui tui? Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis; in mensura. Posuisti nos in contradictionem vicinis

no.

P sal. 79.

nostris, & inimici nostri subsannauerunt nos: Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus. Hæc illa Dauid querela est, in qua necessitatem, qua ipse atque populus suus illo tempore premebatur, enumerat. Tres versus sunt, quibus quicquid in hac terra pios premere potest comprehenditur. Sed nos eadem iam dudum experimur. Propterea non indigna nobis illa erit querela. Vbiq; enim & in omnibus iratum nobis Dominum offendimus. Si enim Germania iam per mille annos certa atque præsens incubuit exterminium, iam certè incumbit. Proinde cuiq; vestrum hanc Dauid querelam breuitatis studio considerandam relinquo, quo quisque secum quàm periculose habites cogitans, cum Dauid precari moueatur. Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende nobis faciem tuam & salui erimus. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE S. MARGARETAE EVANGELIUM.

Matthæi. 13.

**S**imile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa quæ habet & emit agrum illud. Iterum simile est regnum cœlorum homini negociatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abiit & vendidit vniuersa quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregati, quæ cum impleta esset educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi. Exhibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in cæminum

minum